

dammodo representaret. Sic ad hanc *ἀνάλυσιν* quamuis optima ratione accesserim, cogente me vi demonstrationis, & conditione rei propositæ: nolim tamē, vt quis sibi persuadeat, absolutè certissimos numeros se inde retulisse. Fieri namque potest, vt hæc ipsa resectio erroris vltioris causa fuerit. Ecce non leuia indicia. Causam, cur mutantur eccentricitates Martis & Veneris, Copernicus in mutationem terrenæ confert. Non igitur mutatur vera eorum à Sole eccentricitas; Demonstrationem ad oculum habes in tabula. Quod si ita est, oportebat eccentricitates à terra, quæ Ptolemæi seculo, & quæ nostro fuerunt, eodem deducere, atque ex vtrisque eandem à Sole eccentricitatem concludere. Atqui calculum consule, videbis hoc non, vt par erat, fieri. Discrepantes enim inuicem proueniunt etiam *ἄφῆλιοι* eccentricitates. Idem de locis *ἀφῆλιων* dictum esto, quia hæc mutuo connexa sunt: Atque hoc vnum est.

Deinde facilè colligitur ex aspectu tabulæ, cum inæqualiter procedant, & *ἀφῆλια* & *ἀπόγεια*, magnam inde successu seculorum extituram *ἐκκεντροτήτων* diuersitatem. Hodie Saturni & Telluris absides propè coniunctæ sunt, quare integra Telluris eccentricitate minor est Saturni à centro orbis terrestris, quàm à Sole, distantia. Vbi quadrante distiterint, æqualis erit vtraque & à ☉ & à Terra, crescet nempe Copernico sua eccentricitas Saturnia vsque dum opponentur inuicem Saturni & Telluris absides. Quem ad euentum etsi mundus non durabit: tamen si perfecta esset Astronomia, tales debebat hypotheses vsurpare, quæ quasi æterno mundo sufficerent. Atqui nihil horum monet neque Copernicus, neq; Rheinhodus. Non igitur perfectissimi sunt eorum numeri, neque integras planetarum sphaeras nobis explicant, quibus illos seros motus accidere posse intelligamus.

Hæc & huiusmodi similia cum me non nihil conturbarent, atque ego hærerem in ops consilij, quasi qui disiectas automatis rotulas in ordinem redigere nescit: Mæstlinus me consolatus, imò dehortatus est ab his subtilitatibus: Non posse nos, aiebat, omnes naturæ thesauros exhaurire: non mouendum esse malum bene conditum: & tolerandam potiùs, atque sustentandã leuaminibus quibusdam hanc veluti rupturã humani corporis: quàm vt tam exquisita anatome conijciatur æger in præsentissimum vitæ periculum. Pro-

I

ferebat